



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitvlvm IX. Ecclesia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

injusta exactionis, quam damni illati reparatio, juxta justitiæ, cuiuslibet æquæ, exigentiam, quæ non patitur cum alterius damno lucrum quærere *Glossa in notatis*. Quod verò pauperibus tantundem eregandum sit, quantum sub prætextu splendidi, iniquæ tamen exactionis, ablatum fuit, pœna est à delinquente exsolvenda. Et quavis in *Cap. procurationis 23. de censib. &c.* statuatur, ut si quid nomine procurationis indebitè acceptum sit, tantundem detur Ecclesiæ, à qua acceptum est: hinc verò tantundem dari pauperibus jubetur, quia res Ecclesiarum & Clericorum sunt pauperum, & in illo casu, in quo gravatur Ecclesiæ, huic sine dubio succurrendum; in alio verò casu, ubi læduntur subditi his per pauperum eleemosynam subveniri potest.

## CAPITVLVM IX.

## Ecclesiæ.

Agitur in hoc Cap. quæ Ecclesiæ gaudeant privilegio asyli. De quo vide *cap. 6. hoc tit. notand. 2.*

## CAPITVLVM X.

## Immunitatem.

In hoc Capit. inter crimina excepta, quæ non gaudent sacri asyli immunitate, numerantur homicidia, & mutilationes in Ecclesijs aut Cæmeterijs facta. De quibus vide *cap. 6. hoc tit. notand. tertio. n. 6.*

## CAPITVLVM I.

in Sexto.

## Quia nonnulli,

## PARAPHRASIS.

Quæ prius statuta fuerunt in antiquis *cap. quarto hoc tit.* ab Alexandro III. in Concilio Lateran. & postea etiam in Concilio

Lateran. *cap. primo hoc tit.* confirmata fuerunt, ab Innocentio III. circa immunitatem realem bonorum Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum; confirmat etiam de novo in *hoc cap. in sexto* Alexander IV. graviter conquellus contra dominos temporales, & eos, qui jurisdictionem temporalem, seu facultatem actionem temporalem, seu facultatem actionem civitatibus, & villis exercent, & nituntur, & student, ut collectas & tallias ab Ecclesijs persolvantur, præterea bonorum, quæ acquisiverunt, aut eorum manus ponant (in alios, Laicos scilicet, distrahendo) & ut (super his omnibus sollicitè provideat, ac temerarijs auctoritate congruis remedijs obviet, & auctoritate Apostolica, præhabita cum Cardinalibus diligenti deliberatione decernat, non licere illis, qualescunque sint, qui jurisdictionem temporalem, sive facultatem obtinent, & exercent, tallias, & collectas, seu exactiones qualescunque Ecclesijs, & personis Ecclesiasticis imponere, vel exigere ab illis ex domibus, & iudicijs, vel quibuscunque possessionibus ipsiusdem Ecclesijs, aut Ecclesiasticis personis legitimè hæcenus acquisitis, vel in posterum acquirendis, etiam ipsæ Ecclesiæ vel personæ, vel res huiusmodi intra illorum districtum, seu territorium sint constitutæ; nec etiam licere illis (dominis temporalibus, & jurisdictionem tantum sæcularem habentibus) Ecclesijs vel personis Ecclesiasticas, ad distrahendum, vel alienandum, aut extra manus suas ponendum, seu acquisita, vel quæ deinceps acquirant, aliquatenus compellere.

## SUMMARIUM.

1. *Quomodo intelligenda sit illa lxxvii. regula, quod res transeat cum eorum suo?*
2. *Hujus cap. verba bene perpenſa sunt tantum bonorum Ecclesiasticorum immunitatem.*